



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

SS. Chrysanthvs & Daria MM. 25. Octobris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

lectu jucundum. VIRGINIS seruo, AN-
GELO inquam nostro feliciores illos
Angelos inservisse. Nam fuit, cum e
morbo decumbenti incidere venam
medicus cōstituit. Hic, absentibus om-
nibus aliis, adfuere e celo ephebi ge-
mini calo ipso suo formosiores, qui
lumen aliave ministrarunt, & sangui-
nem agri obsequiosi exceperunt. Tanti
sanè erat omnem omnino sanguinem
prodigere. Certè tam duriter vixit IO-
ANNES, ut prater cutem & ossa vix
quidquam hominis jam haberet, eo
rectius ANGELVS dicendus, quod mi-
nus jam carnis illi erat. Hanc denique
omnem posuit anno paræ salutis M.
D. VI. Laudes ejus funebres (quod puto
impar his lingua esset) campana spon-
te impulsæ cecinerunt. Ex Ferrar.

SS. CHRYSANTHVS & DARIA MM.

25. Octobris.

CHRYSANTHVS patre natus Pole-
mio senatorii ordinis viro, dum
fortuito in manus sumit, quem Evan-
gelii librum dicimus, legitque, manus
dare Christo discit, brevi lectione lon-
gè plurimum edoctus. At Polemius, ut
filium à Christianâ disciplinâ dimove-
ret, nihil non movere, carcerique de-
mum mancipare. Sed hic Gymnastii in-
star virtuti erat. Ergo ad insidias ami-
corum consilio versus cubiculum ador-
nat

nat, & omnibus delitiis instruit; addit mulierculas omni mūdo muliebri præter verecundiam superbas. Inter has collocatus CHRYSANTHVS tunc demum in carcere esse se credidit & ingemuit. Quid faceret? clypeum nempe (oculum clausum) objecit. Sed & cælum somno lenarum oculos obruit tam profundo, ut castitati facile esset dormientium manus evadere. At ecce novum duellum: DARIÆ Virgini & formâ & literis cultissimæ committitur. Pergit tamen ille victoriis victorias accumulare, & sponsum expetenti promittit hunc, sed Christum. In has leges & pax & nuptiæ promittuntur, quæ ut festiviore apparatu fierent, plurimos ille juvenes, plurimas illa virgines ad castitatis amorem traxit. Enimverò hic demum furere Venus & vinei toties tela sua indignata, tyrannum armare, jamque CHRYSANTHVM in carceres, DARIAM in lustrum trahere. Sed illum contra tormenta lux cælo allapsa, istam contra lenones leo defendit. Ultimo vivi terrâ obruti castissimi conjuges, primum thalamum, tumulum habuerunt. At olim degener Roma non castitatem, sed impudicitiam sic tumultabas. *Ex Metaphr.*